

tatibus et pertinentiis ad ecclesiam sancti Petri apostoli iam dictam appropriari et confirmari humiliter petiverit, nos eandem petitionem utpote iustam et rationabilem admittere et per sollicitudinem nostri officii ad effectum debitum deducere cupientes, de consensu totius nostri capituli saepedictum molendinum in Kolow situm cum insepis curiae et una insula, agris et piscationibus, aquae meatibus et omnibus utilitatibus suis, quod idem Theodericus de Turgow a nobis in feodo tenuit, eidem ecclesiae in possessionem perpetuam donamus et appropriamus in his scriptis et appropriatam etiam confirmamus, decernentes etiam bona eadem in toto ecclesiastica ad ius et tuitionem ecclesiasticae libertatis perpetuo pertinere. Ut igitur praemissa omnia et singula inconcussa suae firmitatis robur obtineant, praesentes litteras nostri sigilli munimine duximus roborandas.

Et nos Henricus praepositus, Henricus decanus totumque praedictae Misnensis ecclesiae capitulum ad exprimendum nostrum consensum cum venerabili domino nostro episcopo omnibus praemissis et singulis concorditer accessisse similiter sigillum nostrum apponi iussimus huic scripto. Actum et datum Misnae anno domini M<sup>o</sup>.CCC<sup>o</sup>.XIII<sup>o</sup>. in vigilia beati Bartholomei apostoli. Testes huius sunt Henricus plebanus in Yleburg, Henricus procurator ecclesiae Montis Sereni, Otto plebanus in Wrcin, frater Johannes magister curiae in Grewscz, Hermannus de Maschuicz, Henricus de Seben milites, Jenchimus de Seben, Peczoldus de Thechenicz advocatus in Bichene et quam plures fide digni.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden, mit den Siegeln des Bischofs und des Capitels an Fäden von grüner und schwarzer Seide.

No. 357. 1314. 21. Jan.

*B. Ulrich zu Naumburg verleiht einige Zinsen und das Patronatrecht zu Grobere dem Meissner Domcapitel.*

Ulricus dei gratia Nuenburgensis episcopus universis Christi fidelibus praesentem litteram inspecturis salutem in domino sempiternam. Quoniam quae aguntur in tempore simul labuntur cum tempore, unde necesse est, ea poni in lingua testium et scripturarum memoria perhennari. Inde est quod nos recognoscimus et ad universorum notitiam praesentem paginam intuentium cupimus pervenire, quod ad petitionem strenuorum virorum videlicet domini Johannis de Herstein militis, Wignandi fratris sui ac heredum Wignandi fratris ipsorum militis felicis memoriae sextum dimidium talentum annui census in villa Grobere<sup>a)</sup> cum iure patronatus ecclesiae ibidem et quadam vinea inculta in territorio Haynensi sitis, quae a nobis et ecclesia nostra hactenus pacifice possederunt, post liberam eorum resignationem nobis factam, ius etiam feudalis domini, quod in dicta villa ecclesia nostra hucusque habuit, damus capitulo Misnensis ecclesiae cum omni alio iure, quod praedictis bonis inerat vel inesse poterit in futuro proprietatis titulo perpetuo possidenda. In cuius rei testimonium praesentem litteram super huiusmodi donatione datam nostri sigilli robore fecimus communiri. Datum anno domini M<sup>o</sup>.CCC<sup>o</sup>.XIII<sup>o</sup>. XII<sup>o</sup>. Kalen. Febr., pontificatus

a) Gröbern, Eph. Meissen.  
COD. DIPL. SAX. II. 1.